

V.C. Antonii Birrii, [...], oratio de caussis neglecti a multis linguae Graecae studii, idib. Martii 1745, [...]

Autor(en): **Birrius, Antonius**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 5

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394597>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

V. C. ANTONII BIRRII,
 Philatri,
 Oratio de Cauffis neglecti a multis
 Linguae Græcæ studii,
 Idib. Martii 1745.
 cum auspiciæ Professionis Ling. Græc.
 in Acad. Basil. caperet, dicta.

CUM nihil minus sperarem amplius, quam
 ut unquam hæc mihi, in Amplissimo hoc
 Confessu, ac pro frequenti ejusmodi co-
 rona, vos appellandi facultas contingeret, ex in-
 sperato demum ad novi officii, honorisque Aca-
 demici auspiciæ vocatus, veterique ex instituto
 verba apud vos facturus, unde melius, quam a
 gratiarum actione, ordiar, non invenio. Tanto
 enim omnium assensu ac favore, tanta benevo-
 lentiae testificatione, totque congratulantium vo-
 cibus fors mea, quæ post tot adversos casus, ali-
 quando bona exiit, nuper excepta fuit, ut pu-
 dori meo prævaleat officii ratio, neque superse-
 dere me grata hujus benevolentiae vestrae comme-
 moratione, obstrictum se vobis multis nomini-
 bus sentiens animus patiatur.

Quid vero de illo dicam, eximio ac plane
 singulari utriusque splendidissimi Senatus Aca-
 demici collegii erga me studio? aut quibus demum
 verbis prædicem, quantum mihi, vosque Ama-
 plissimi Scholarchæ, vosque Magnifici & Excel-
 lentis.

lentissimi Academiae Proceres, Collegae jam mihi Exoptatissimi, vestra tam honorifica tamque constanti suffragatione tribueritis? Qui non solum sortem meam, quasi jam legitimo ac tralaticio more, primum semper locum obtinere volebatis, verum etiam, cum ejus mirabili casu, speratis usque laborum praemiis frustratus & exclusus, vergente jam aetate, reliquam mihi petitionem, ut sine spe non foret, intempestivam tamen, ac sine dignatione fore intelligerem, minimeque moderata atque honesta semper spectanti convenire statuerem, ac certo destinatoque consilio reliquum tempus quieti dare decrevissem, vestris vos me per mihi honorificis decretis ab hac mente revocastis, & cum aliter legis acerbitati intervenire non liceret, si ultima haec quoque sortitio mihi secus caderet, intercessione vestra, supremum Senatum velut pro me exoratum ire, ut extra sortem mihi in hac Academia provinciam destinaret, jam deliberatum habebatis.

Qua in re Vos quidem, pro religione vestra, nihil gratiae vel praecipuae erga me benevolentiae tribuisse, & vultis & credere par est. Non possunt tamen haec, sincera ab omni suspitione vitii de me judicia vestra ab ejusmodi benevolentiae accessione sejuncta existimari, quam bonos bonis, & aequi ac veri amantes, religionisque servantissimos judices bene merentibus tribuere nulla legum imperiorumve severitas prohibet.

Quam toties tamque illustrem in modum expertus propensam ad ornandum me vestram voluntatem, si sine justa gratique animi plena praedicatione praetermitterem, merito verear, ut fa-

tis dignus tam mihi honorificis vestris suffragiis atque judiciis, satisque gratus judicaret.

Ac vos quidem, Patres Amplissimi, pro talibus vestris de me judiciis, probabatis valde eam sortem, quæ, velut redeunte mecum in gratiam Fortuna, vestris destinatis intervenit, ac
sera tamen, respexit inertem.

Quam vellem ego vero vestra de me Vos ne frustraretur ulla ex parte expectatio, tantumque in his litteris, ad quas docendas vestra mecum sorte vocarunt suffragia, adhuc mihi præstare liceret, quantum melioribus annis majori certe cum fiducia promittere potuissem. Nunc vero mearum mihi, mediocrium semper jacturæ virium conscius, & in ea Cathedra constitutus, quæ omnium maxime juvenem, vel certe illibatis adhuc fidentem bonis suis virum postulare videtur, ecqui non verear ne vobis fortis iste casus, qui me hunc in locum sustulit, pœnitendus videatur, neve destitutus bonis, quæ in Celeberrimo BATTIERIO usque mirati sumus, solas ejus viri, quas ingravescente ætate assidua ex Græcorum Voluminum lectione contraxerat, infirmitates restituisse videar.

Vestra mihi bonitate, vestra indulgentia opus esse sentio, & quidem multa, & in hac hodierna & in omni functione muneris mei. Qui si cœteris in rebus minus fortasse vobis, quam posse optarim, satisfaciam, grato tamen animo, atque observantia & amore vestri, spero me vobis, pro conjunctione Collegii satisfacturum; donec eo veniam, ut provinciam hanc, quam interea, utcunque demum, adjuvante Deo, licuerit, administraturus sum, ejusdem arbitrio obsequenter ac lubens, digniori velim, successori relinquam.

Quod

*

*

*

Quod reliquum est, ut solito de more non nihil etiam, quod ad commendationem litterarum, quas publice docendas suscepi, pertineat, adjiciam, *de Caussis neglecti a multis Græcæ Linguae Studii*, brevi Dissertatione acturus, vestro ut id, A. O. O. H. cum silentio, vestrisque paulisper attentis animis fiat, enixe rogo. Cum pro varia eorum, qui litteris operam dant, natura, proque distantibus ingenii viribus, ac pro facultatibus etiam unius cujusque, statusque ac loci conditione, qua quisque uti cogitur, causæ existere innumeræ possint, quam ob rem non idem Studium singuli ad Græcas Litteras discendas afferant, posse tamen omnia ea, quæ vel numerum Græcæ Linguae Studiosorum minuunt, vel discentium ardorem restringunt, ad duas omnino causas reduci arbitror. Ad difficultatem nimirum, quæ se se offert discentibus, & ad falso conceptam de permodico Usu hujus disciplinæ opinionem. Utraque in Quæstione sic agam Causam Græcæ Linguae, ut non verear, ne pertinacius insistere sententiæ meæ videar, ac dissentientibus largiar quod possum, nec ultra mihi concedi quicquam postulo, quam per se ipsa ratio postulare videbitur. Primum igitur quod ad difficultatem G. L. pertinet, inter innumeras, quæ genus humanum premunt miseras, non minima hæc est, quod ad Disciplinæ bonum adeo non sponte sua fertur tenerior ætas, ut fere malo ac suppliciis eo cogenda sit. *Hinc illæ lacrimæ, & prostrata apud plurimos, priusquam omnino degustarint, harum epularum appetentia.* Est quidem etiam in plenioræ Latinæ Linguae cognitione non parum laboris insumendum, sed quodcun-

que id est, pæne nihil videtur ad eum laborem, qui in Græcæ Linguæ Studio exantlandus est. Particulatim singula contendere brevitatis, quam mihi proposui, studio prohibeor. In ipsis enimvero litterarum Elementis, earumque divisione ac permutatione varia, in Articulorum, Nominumque, cum simplicibus tum contractis, declinationum formulis, Adjectivorumque motionibus, in Pronominibus, in Verborum trium generum variis per tres διαθέσεις, ut Grammatici vocant, conjugandi modis, operosaque Thematum investigandorum ratione, in regularum & exceptionum atque ἀνομαλιῶν pæne incredibili numero, in figuris dictionum poëtarumque licentiis, Dialectorumque abstrusa cognitione, in Particularum indeclinabilium mirabili copia & varietate, satisque intricata Spirituum & Accentuum, non posthabenda tamen, ut quidam volunt, ratione, in Prosodiæ & Syntaxeos regulis, & multis & a Latinorum consuetudine plerumque abhorrentibus; In his atque aliis, quæ consulto præterii, ediscendis quantum Studiosis Græcæ Linguæ laboris incumbat, ecquis est qui non videat? Mitto alia, quæ insuper ad Lectionem Græcorum juxta atque antiquorum omnium monumentorum requiruntur, rerumque magis, quam ad verborum notitiam referuntur. Quid quod præter hæc omnia, quæ adhuc enumeravi, multo maxima tamen, mea quidem sententia, difficultas superest in cognitione Atticisimi. Quo nomine hoc loco non ἀττίδα διάλεκτον, satis jam a Grammaticis dilucidatam, verum peculiarem quandam, & Atticorum propriam eloquendi rationem intelligo, quæ nullis regularum vinculis constringi neque

neque communibus præceptis comprehendere potest, tanta nominum numeros & casus, verborumque modos, tempora, personas permutandi licentia est, & in particulis quoque a primitiva significatione ad aliam atque aliam usque transferendis. Quæ qui non ex ipsis Atticis Scriptoribus eorumque Scholiastis satis perceperit, næ is semper in Græcis hospes erit, neque ullo in genere Græcorum monumentorum explicando operæ pretium faciet. Hunc in modum igitur quum Græcæ Linguæ cognitio comparata sit, totque undique difficultatibus septa appareat, non tam segnitiam attingere timentium, quam eorum socordiam mirari convenit, qui se ante sæpe ad docendam eam accingunt, quam de perdiscenda ea serio unquam cogitaverint.

Cæterum qualescunque hæ difficultates fuerint, evanescent protinus, si strenue opus aggredi cœperis, paulumque ardoris in Studio accesserit. Præsertim si boni atque fidelis Præceptoris opera viam molliat, qui traditos sibi discipulos laboris compendia doceat, & occurrentes subinde nodos scienter resolvat, suoque exemplo demonstrat, quantos brevi tempore in hoc studio progressus facere non cessantibus liceat, ejusdemque cum amœnitatem, tum Utilitatem ignorantibus perspicuis documentis ante oculos proponat.

Quæ quum altera mihi quæstio de Utilitate Græcarum litterarum proposita sit, hanc quoque quam brevissime potero expediam.

Non is sum, A. H. qui æquo animo sterilis atque inutilis disciplinæ cujuscunque patrocinium fusciperem. Semper apud me valuit plurimum & vetus Cassianum illud : *Cui bono?* & sapiens

dictum Phædri, *Nisi utile est quod facimus, stulta est Gloria.* Sed vellem hi, qui Utilitatem in Græcis litteris desiderant, quid Utilitatis nomine appellent diserte & explicite satis indicarent. Nam si id solum utile reputant, quod, ut Græci proverbio dicunt: πρὸς τὰ ἀλφίτα, hoc est Plauto interprete, *ad ventris victum conducit*, solasque quæstuosas artes utiles esse statuunt, valeant una cum Matre Philosophia & septem illæ liberales, & si quæ aliæ præstantes adhuc disciplinæ atque scientiæ, quæ publice docerentur, dignæ habitæ sunt, & ex urbibus atque Academiis migrare jubeantur. Nisi si forte Arithmetica salvum conductum impetrabit, quod in exputando lucello & dispungendis usurarum atque interusurii rationibus adminiculo esse potest. Comparare quidem nobis ea, quæ ad victum cultumque Corporis opportuna sunt, communi lege necessitatis omnes cogimur, duraque nimis atque iniqua eorum conditio esset, qui rei familiaris Studium doctrinæ bono postponunt, si nulla privatim mercede, nullis publice præmiis eorundem industria excitaretur, ac foveretur.

At minime ex eo sequitur, id solum utile esse cognitu, quod protinus præsentī pecunia vendere possis, ut illi volunt, quorum omnia Studia, ut cum Apulejo dicam *poscinummia* sunt. *Honos alit artes.* Sed si utile esse statuimus id quod vitæ mortalium maxime idoneum est, quod ad animi scilicet curam cultumque, erudiendumque ingenium disciplinis ejusmodi pertinet, quæ humanæ naturæ vitiis ac mentis erroribus medentur, quæ vel publice privatimque salubribus præceptis, vel alioqui præclaris ac præ-

præstabilibus inventis constant, non est, cur ve-
rear, ut Græcæ Litteræ satis utiles judicentur.

Quæ enim ars, quæ scientia, aut quod genus
honestæ disciplinæ est, quod non in Græcia na-
tum, vel a Græcorum ingeniis excultum, illustra-
tumque non sit? Aut quod demum Studium est,
per quod Græcitas in rerum tractandarum voca-
bulis non late diffusa sit? Non ibo per singulas
Philosophiæ Partes, nec memorabo, quantum
vel suavitatis, vel ad ipsam rerum cognitionem
adjumenti afferat, incunabula & primordia cujus-
que disciplinæ ex ipsis auctorum fontibus cognos-
cere.

Mitto quæ ad eloquentiam & acumen solum
ingenii spectant omnia, Sophistas, Rhetores,
Oratores, Poëtas. Non dicam quantum Græciæ
acceptum referant, quæ innumerabilia vitæ mor-
taliū commoda pepererunt, Mathematicæ Disci-
plinæ. Transeat mentio tot insignium monu-
mentorū, quibus nobis Moralem Civilemque
Philosophiam traditam illustratamque reliquerunt.
Taceo et arctissimam Latinæ, Græcæque Linguæ
cognitionem, qua fit ut neutro in Scriptorum
genere tractando cum laude versari possit, qui in
utroque non admodum fuerit exercitatus. Tran-
seat & Magistra vitæ ac Schola principum Histo-
ria, propter quam solam tamen jam Græcæ Lin-
guæ Studio satis superque commendationis acce-
deret. Quia pervulgata hæc opinio est, quæ &
in animis multorum, qui studia sectantur radices
egit, solas eas disciplinas videlicet in Academiis
utiliter doceri, quæ ad superiores, quas vocant,
facultates properantibus omnino necessariæ sint.
Age de usu Græcæ Linguæ in tribus hisce facul-

tatibus, quas, (perinde ac si impari fœdere nec pari jure cum Philosophia conjunctæ sint) superiores appellant, quam brevissime dispiciam.

Ac de Theologia quidem non multum mihi video negotii fore, cum & sacra utriusque fœderis monumenta Græce exstent, haud dubie studioso hujus disciplinæ usu terenda, & eadem vix ac ne vix quidem sine Græcanicæ Eruditionis subsidio intelligi satis possint. Quod si vero operosum lateque patens Græcorum Patrum Studium, cum imperitis hominibus supervacuum credere liceret, quid Historiæ & Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiæ fiet, quam prope solis ex Græcis Scriptoribus petendam esse ne tirones quidem ignorant? His atque aliis, quas adducere longum foret, de causis, adhuc inde a restitutæ in pristinam integritatem Theologiæ temporibus, non passus est devenerandus Ordo in scholis suis jacere, ac negligi Græcæ Linguæ Studium; nec porro spero, in hac maxime Academia, negligi patietur. Tuebitur usque, cum in omni reliquo, tum in hoc quoque eruditionis genere suum decus; neque committet unquam, ut si hæc sacra illotis, ut ajunt, manibus tractari cœperint, sine dignatione auctoritateque relictæ, doctrinæ Christianæ eo plurimum tardentur progressus. Igitur de Studio sacrarum litterarum satis dictum sit.

Multo mihi gravius instare cum his video, qui Juris Civilis Studium profitentur. Jam diu enim apud hos invaluit opinio, nihil omnino Græcæ Linguæ cognitionem hoc in Studio adjumenti conferre.

- - - hæc Janus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt juvenes dictata senesque.

Quid

Quid agas unus contra tam multos? Jam enim

Defendit numerus junctoque umbone phalanges.

Ego vero non id contendo, cuivis Juris prudentiæ Studiofo tam esse G. L. necessariam, quam viatori instructum marsupium: Fore tamen iis, qui sibi compararunt, & in omni Romanorum legum tractatione non mediocri subsidio, & insigni semper ornamento, non injuria contendo. Quod facile intelligent, qui secum perpenderit, primum Juris Civilis Romani primordia ex Græcia, & ab Attici juris velut incunabulis arcessi: deinde quicquid fere præclare atque salubriter in veterum Juris Consultorum responsis, aut Romanorum principum rescriptis positum est, ex Stoicæ atque adeo Græcæ Philosophiæ fontibus manasse, nec aliunde melius illustrari posse. Juris denique totius Orientalis, seu Græco-Romani, Cognitionem, Græcorumque interpretum lectionem, ne de aliis loquar, a Viris doctissimis ex Græcorum monumentis suppeditatis subsidiis, supervacuam putare, non potest sane nisi ejus esse hominis, qui permodica in hac disciplina contentus suppellectili, præstantis doctrinæ decus parum curet.

Romanæ autem Historiæ, Romanarumque Antiquitatum cognitionem, cum ad historiam, tum ad interpretationem utriusque juris, omnino esse Studiosis hujus Disciplinæ necessariam cum concordatorum Juris-Consultorum judicio satis constet, velut in jure cessam hanc mihi sumam sententiam, neque de restituenda ea postliminio laborabo. Ejusmodi vero Cognitionem ex Græcis potissimum monumentis petendam esse qui negare sustinuerit, næ is petitionis formula excidit,

vel potius unde petitionem instituere deceat prorsus ignorat, & in hoc jure nostro plane hospes est. Non utar postremo præclarissimorum virorum exemplis, qui omnes Græce doctissimi, vel primi Jus Civile, superiorum temporum barbarie corruptum & obscuratum, pristino splendori suo restituerunt, vel deinceps Juris Naturalis præcepta, in antiquissimarum Gentium legibus Philosophorumque Græcorum placitis, veluti voces ac dictata Naturæ vestigantes primi demonstrarunt. Habemus domestica Exempla, quæ his adjungere possumus. Vidimus ipsi in hac Academia duos præstantissimos Juris-Consultos, alios ne memorem, quos merito & Rei publicæ & Universitatis hujus columnina appellaveris, utrumque Græcarum Litterarum doctissimum *Sebastianum Fæschium* & *Johannem Jacobum Battierium*.

Quid vobis animi est Juris Prudentiæ Studiosi? Non igitur præclare studiis vestris consultum statuitis, talium Virorum judicio stare, indeque doctrinæ adjumenta petere, unde ipsi petierunt?

Sed tempus est, ut ad medendi denique artem nostra se convertat Oratio. In qua quia non destituitur Græcarum Litterarum causa cordatorum patrocínio: Siquidem quotquot sunt, qui de recte instituendo hujus artis studio præcepta reliquerunt, tironibus eas inprimis commendarunt: propter paucos, qui his maxime temporibus dissentiant, satis habeo, diversa censentium sententias in medium proferre, sane judicantium sensui relicturus, utra ex parte consistere satius existiment.

Igitur

Igitur qui pro græcis litteris pugnant, non solum jucundum, sed & utile esse statuunt, Artis etiam primordia ac velut rudimenta atque incubula cognoscere, proptereaque & in Hippocratis operibus legendis, qui merito velut parens artis habetur, multum studii ponunt, & eorum quoque industriæ, qui deinceps Medicinam scriptis illustrarunt, rationem habendam esse statuunt, in quibus Rufus, Aretæus, Dioscorides, Galenus, Alexander, Aetius, Paulus, Oribasius, præcipue eminent, ne ad omnium quæ supersunt veterum monumentorum ejus generis enumerationem descendam. Statuunt enim Viri doctissimi, experimentorum ac salubrium Præceptorum incredibilem copiam, velut inexhausto ex fonte, ex veterum, quæ diximus scriptis peti posse, eademque utilius & plenius ex ipsis auctoribus cognosci, qui ea, usu rationeque comperta fideliter accurateque perscripta reliquerunt, quam si per multorum manus, incertum qua fide aut diligentia, tradita acceperimus.

Contra hi, qui nihil Græcas litteras ad Medicinæ Cognitionem adjumenti promittere statuunt, quidquid operæ in Hippocratis aliorumque græcorum Medicorum lectione ponitur, non dubitant *περίεργον* periturumque laborem appellare, cum omnia, quæ ad artem scienter dextreque facitandam requiruntur, collecta olim ex antiquioribus medicis, novisque inventis insigniter aucta, & melius & brevius juniores medici traderint. Quod si nihil hæc sententia dubitationis relinqueret, planeque ita missa in compendium omnia veterum experimenta præceptaque ac monita haberemus, ut nihil omnino reliquum esset,

esset, quod ex tanta rerum copia subinde expiscari liceret, si non ipsa veterum medicorum auctoritas, experimentorumque tot sæculis factorum fidelis traditio ad confirmanda artis præcepta plurimum valeret, tamen tam late regnum, ut ita dicam Græcæ Linguæ in Medicina patet, innumerabilibus vocabulis ex Græcia, ubi nata & educata fuit, in eam translatis, & per omnes ejus partes diffusis, ut si ne verbum quidem adhuc Græcum intelligerem, nunc demum istuc ætatis cum sim, ad elementa Græcæ Linguæ discenda, veluti puerilem ludum ingredi non dubitarem. Neque enim intelligo, qui fieri possit, quin qui rudes Græcarum Litterarum sunt Philiiatri, pleraque artis vocabula, perperam vel scribant, vel pronuntient, vel intelligant, vel invicem permisceant atque confundant. Quod salva artis dignitate & existimatione profitentium eam fieri non potest.

Quæ quum citra vanitatem de Linguæ Græcæ usu in omni disciplinarum genere prædicare liceat, unum modo addendum videtur, dari gradus in disciplinis, neque tantundem ab eo exigere, qui in infimo subsistere & qui ad summum eniti velit. Nemo unquam Eruditionem cujus Græcæ Litteræ vel præcipuam partem constituunt, a quovis patre familias exegit: Eorum propria est, qui vel docendi munus sustinent, vel alioqui doctorum in numero hominum censerunt. Per hos deinde doctrinæ bonum multifariam propagatur ad plures, ita ut denique non nihil ejus redundet etiam ad imperitum vulgus.

Facile intelligo posse aliquem in Christianæ doctrinæ elementis plebi tradendis non poenitentiam

dam operam navare, etiam si illa instructæ undique, & ut ita dicam, eruditæ fidei panoplia indutus non sit, quam in Theologo requiri diximus: sed nemo ultro in hac tam salutari atque præstanti disciplina progressibus exiguis contentus erit, cui res Christiana, veritatisque divinitus traditæ cognitio ac propagatio satis cordi est.

Similiter etiam non negamus posse qui Græce nihil sciret, in Jurisprudentiæ Studio eximios nihilominus progressus facere; Id solum contendimus, quo majores fecerit, eo magis fore, ut ipsum pæniteat, si Græca prorsus non degustaverit. Quod ad Artem quoque Medicam transferre promptum est, nisi quod gravius sine dubio Græcarum litterarum contemptu in hoc studio peccatur.

Quæ quum ita sint, vestrum est, quotquot adestis, quorum ad progressus studiorum nostra pertinet oratio, adolescentes, pænitendam multis negligentiam fugere, & ut cæteris, quibus hæc auditoria vestrum ad commodum personant, ita nostræ huic patienter aures præbere disciplinæ. Quod si qui tamen nullo omnino Græcarum litterarum studio ducuntur, eos enixe rogamus, auditorium nostrum frustra ne frequentent, ne forsan exemplo suo cæterorum qui aderunt progressus retardent. Nihil de Celeberrimi Antecessoris consuetudine mutare animus est, nisi quod solum Novum Testamentum explicabitur, ita tamen, ut si qui paulum in hoc studio progressi adesse voluerint, eorum in gratiam nonnulla, quæ ad pleniorum rerum cognitionem pertinent, quatenus ex Philologiæ Græcæ mea quali-

qualicumque copiola id facere potero , aspersus sum lubens. Deus O. M. nostris conatibus propitius adsit.

D I X I.



EPHE.